



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Præter suam, sed non præter Dei mentem, Plus efficit versus Abbas,  
quàm destinat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Dei erat opus dicendum; Dei, inquam, per *casum*, humanæ artis superbiam erudientis, docentisque, sæpe, in re leuissima, humanam industriam deficere, & insciam aliunde fulciri, ut indaget, unde fulciatur.

Huc spectat & illud, quod de puerulo memorat Olaus, cui itidem & *Casus*: & Deus insignem gloriam peperit, quando, hoste Groningam Frisonum urbem obsidente, artem parentis imitari volens innocens filiolus, igne in magnum tormentum bellicum immisso, caput illustrissimi ducis, in obsidione foris milites exhortantis, ferreo globo expulso, auulsi, & obsessis quietem peperit. Lusit tum puer, sed Deus serio egit, qui pueri manum in hostem direxit. Dixit olim Elifaus ad regem Israël: *Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Elifaus manus suas manibus regis, & ait: Aperi fenestram orientalem. Cumq; aperuisset, dixit Elifaus: Iace sagittam.* Sic nimirum Deus manum nos iubet ad mouere operi, sed manui nostræ manum ipse suam superponit. Nos arcum tendimus, Deus dirigit sagittam. Nostrum est telum iacere, Dei destinare. Quemadmodum, quando *uir quidem tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël, inter pulmonem & stomachum.* Sagittarius, casu, Deus consilio regem percussit. Nos quoque omnes sæpe nescij, cum Deo, immo Deus nobiscum manum mouet. Ob quam causam ait Dauid: *Ecce, Domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Hoc est, quod vulgò aiunt: *Homo proponit, Deus disponit.* Sic sæpe non sagittam, sed verbum ex ore acutius mordaciusque finit aliquis euolare, quo eum non tangit, quem petit; cum interim alium vulnerat, vulnere indigentem, & ex eo idu sapientem; aut certè cum ille ipse, qui petitur, dictum aliorum accipit, quàm fuerit à dicente destinatum.

Ita accidit Monacho, de Ottirburg, quem diuina pudentia, mirabili casu, in ordine Religioso, conseruauit. Is à fallaci dæmone & Mundi illecebris irretitus cogitauerat Cænobio, & Deo nuncium remittere. Ea in cogitatione noctes diésque versabatur. Stabat igitur aliquando, in choro, & alijs matutinas preces cantantibus, ipse cantu abstinens, ac silens, mente secum agitabat, quo tempore, quòue modo, ordinem deserere vellet. Hoc orandi tædio totos matutinos cantus neglexerat. Ventū erat ad *Laudes*. Ibi,

Gg 3 dum

VI.

Olaus Magn.  
lib. 9. c. 28.

4. Reg. 13. 16

3. Reg. 22. 34

VII.

Cæsius  
lib. 4. c. 55.

dum Canticum Habacuc psalleretur (erat enim feria sexta) Abbas Philippus, eius postea rei testis, velut circitor, vigiliis obibat, visitabatque fratres, an rei diuinæ animis adessent. Inter circumcundum, reperit Monachum illum, tentationi vacantem, & viceçantus, nictantem. Quid aliud censuisset, quàm somno victum ac semisopitum esse? Igitur, tanquam ad dormitantem, se inclinans, versiculúmque illum ipsum, qui eo temporis momento canendus erat, in aurem vocaliter admodum ingessit. Erat autem casu versiculus ille: *Egredietur diabolus, ante pedes eius.* Hac voce, & ille ad se, & tentatio ab illo ijt. Existimans enim, Abbati cogitationes suas è cælo reuelatas, eaque propter, his Prophetæ verbis, castigatas; ipse quoque non aliter Prophetam intelligens, quàm si de eiuscemodi desertore esset locutus, noluit maledictionem hanc abeundo mereri, & diabolum viæ suæ ducem habere. Itaque plagam suam Abbati patefecit, qui mirari satis non potuit diuinæ sapientia, per tam inopinatum exitum, medicinam.

VIII. Noui & ego religiosissimum alioqui virum, qui, post quadraginta annos, in religione, exactos, tandem diuturnæ tentationi succumbens, è suo, ad ordinem PP. Carthusianorum transiuit; ad suum tamen ordinem, paulo post, ferè simili ratione, postliminiò reductus est. Nam eum, inter confabulandum, vt fit, iuuenis tiro interrogauit, quàm diu in priore vitæ statu vixisset? cui ille, *Quadraginta*, inquit, *annis.* Tum nouitius, Deus bone, inquit, *quadraginta iam annis inibi mansisti, & tanto tempore, non didicisti, per reliquum, quod tibi adhuc parum superest vitæ porro persequerare?* Tetigit hoc dictum ad eò hominem, vt illico suæ pristinae se se religioni restitueret; quod planè tiro ille efficere nequaquam cupiebat. Sed Deus, qui *ex ore infantium & lactentium,* perficit laudem suam, sæpe per os aliud loqui volentium, aliud & ipse loquitur; sicut & per Caipham oraculum illud fudit: *Expectat vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc enim à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat, pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.*

IX. Quæ recensui, aliter dicta atq; aliter accepta, eò spectabant vt, pfugos, ad semel piè inchoatum vitæ statum continuandum, reuocarent. Addam aliud, quod docet, Deum casu hominis vsu, ad eundem statum inchoandum: quod etsi ex mente loquentis euc-

nic,